Fragmentarium

Ex quo enim patres ex aegypto exierunt suae gentis iudicibus us-
que ad samuhel prophetam ac deinde regibus usque ad transmi-
grationem babilonis regebantur. Post re[illegible]o de babilone
per pontifices rerum summa gerebatur us[illegible] regem
simul et pontificem quo fatente in iudia mult[illegible]
et ad ultimum ab herode cuius patrem ipse de [illegible] aduena
hoc est genus idumeo sublimem fecerat et ciuem. ui in fraudis
interempto iudeae regnum ipsi herodi iussu caesaris augusti
traditur gubernandum. Cuius tricesimo primo anno iuxta
prophetiam supradictam qui mittendus erat aduenit ;

ERANT AUTEM AMBO IUSTI ANTE DOMINUM INCEDENTES IN OMNIBUS
MANDATIS ET IUSTIFICATIONIBUS DOMINI SINE QUERELA

Bene iusti ante dominum. non enim omnis qui iustus est ante hominem iustus
est ante dominum ; Aliter uident homines, aliter uidet deus. homines
in facie, deus in corde ; Et ideo fieri potest ut aliquis affectata bonitate
populari iustus uideatur mihi ; Iustus autem ante dominum non sit, si iusti-
tia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur ;
Beatus autem ille qui in conspectu dei iustus est ; Beatus ille de quo dominus
dignatur dicere. Ecce uere israhelita, in quo dolus non est ; Uerus
enim israhelita qui deum uidet, et uideri se nouit a domino, et ipsi exhibet
occulta cordis ; Incedentes inquit in omnibus mandatis et iustificati-
onibus domini ; Prius mandatum, secunda est iustificatio, cum enim man-
datis caelestibus obedimus in mandatis ince[d]imus domini ; Cum iudi-
camus et congrue iudicamus tenere domini iustificationes uidemur ;
Plena igitur laudatio quae genus, mores, officium, factum, iudicium
conprehendit ; Genus in maioribus, mores in equitate, officium in sacer-
dotio, factum in mandata, in iustificatione iudicium ; Quodque
addidit sine querela ; Hoc est quod et apostolus ait ; Prouidentes
bona non tantum coram deo, sed etiam coram omnibus hominibus ;
Et ecclesiastes, Noli inquid multum iustus ; Quia plerumque iusti

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_265_f125r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5271)